

1509 publicæ militibus, & capta: pauci sylvarum & noctis auxilio se occultaverunt, cladisque nuncium oppidanis attulerunt.

Cognita interim cum Maximiliani moræ medio inter Vicetiam Veronamque itinere, tum Hippolyti ad Montanianum oppidum cum suis copiis sessione, legati Lemniano veriti, quod inter utrosque fere erat, milites quos oportuit eo miserunt, oppidumque munierunt. Id Hippolytus intelligens linguam non continuit, questusque est, gravi addito ad querelam maledicto; ejus rei, quam se brevi posse consequi confidebat, eventum sibi e manibus ereptum fuisse. Ea hominis in rempublicam maledicentia Senatus cognita, Alfonisque studium obsidendo Patavio adhibitum repetens, ad illam cogitationem rediit, ut utriusque plena odii facta atque consilia quamprimum vindicanda omnibus sibi esse modis statueret. itaque literæ secreto ad Angelum præfectum classis datæ, Fossam Clodiām classem celeriter adduceret: atque uti navigia minora Pado flumine subvehenda in navalibus confessim ædificarentur, præfectis eorum imperatum, ad simulationem Tergestinis obsidendi. utque is sermo in vulgus efferretur, ne cognito reipublicæ consilio suos fines Alfonsus præmuniret, Patres curaverunt. tametsi Angelus, propterea quod ad Raspum recuperandum Delphinus legatus & Franciscus Pascalicus equitum Epirotarum præfectorus cum suorum manu & classiariis eo se tempore conferebant, quod quidem paulo post primo impetu ceperunt, tardior ad eam rem fuit. Maximilianus missis ad Gasparem Severinatem, quem Vicetiae oppidi præsidio reliquerat, militibus Germanis tribus milibus, Veronam adiit, pauloque post cum paucis equitibus se Tridentum contulit: ad quem uxor ejus eodem venerat.

*Maximilianus Tridentum se confert, XII. kal. novembr.*

De ea re Senatus per exploratores certior factus, simul reipublicæ amicorum literis admonitus, Vicetinos ob Maximiliani præfectorum quotidianas direptiones, quas quidem, propterea quod nulla eis ab rege stipendia persolvebantur, in oppidanos exercebant; ita esse animatos, ut si

ad